



einzelne vertheilt M. III. 1915.

Dissert. theol. 921/38

F. C. Schmidt
de iud.

~~III. 10.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

VI-16.

SIGNAT. CLVCCCCXIII.

42

47

בשש
DE

SAULE

IN

גב צה תהלתי

VATICINANTE,

Ad

Illustranda comm. 5. & 10, 1. Sam. X.

AUSPICIO

RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI,

DN. FRIDERICI AVGVSTI,

SERENISSIMI PRINCIPIS REGII ET
ELECTORATUS SAX. HEREDIS,

Ad D. VIII. Idus Septembr. A. O. R. MDCCX.

Publice different

PRAESES

IOANNES CHRISTOPHORUS

VVICHMANNSHAUSEN,

LL. OO. PROF. PUB.

ET

RESPONDENS

M. GERHARDUS HERMANNUS MENCKE,

Oldenburgensis.

VVITTENBERGAE, Typis CHRISTIANI SCHROEDTERI, cad. Typogr.



VIRO.
CONSULTISSIMO. AMPLISSIMO. AT-
QVE. EXCELLENTISSIMO.
DOMINO.
MICHAELI. HENRICO.
GRIBNERO.
ICTO.

PROFESSORI. PVBLICO. DVDVM.
MERITISSIMO. COLLEGIORVM.
IVRIDICORVM. ASSESSORI. GRAVISSIMO.
ET. PRO-DECANO. SPECTATIS-

PATRONO. SVO. QVA. PAR. EST. PIE-
TATE. AETATEM. COLENDO.

DISSERTATIONEM. HANC. PHILOLOGICAM.

ACRAM. ESSE. CVPIT.

M. GERHARDVS. HERMANNVS. MENCKE.





PROLOQVIUM.



Ultra sunt, variaque rerum portenta, quibus regni *Israelitici* auspiciam Deus ad omnem posteritatis memoriam voluit commendari. Regem creari iussit non e tribu principe, aut nobilissima familia, sed ex *Benjaminitis*, tenuissima inter *Israelitas* gente, & quae vix tum quidem a *Gibeonitica* clade, *Jud. XXI*, respirarat. Nec tamen de faece plebis ille, sed filius viri *דור דור* fortis manuque strenui, cui nomen *קיש* erat, fuit, ac praeterquam quod genus suum ad claras propagines referebat, formaque vultus & morum venustate cedebat nemini, omnes *Israelitas* corporis proceritate ad mensuram capitis superavit. Hic ergo dum a Patre amissam asinam quaesitum mittitur, praeter spem & expectationem regnum adipiscitur. Nam ubi, pererratis montanis *Ephraimiticis*, terraque *Schalifchaeorum* & *Schaa-*

timorum, reperiundae spem asinae omnem abjecisset, reditumque in patriam jam meditatus esset, admonitu famuli sui, ne quid intentatum relinqueret, divinum, eaque tempestate celeberrimum, vatem, *Samuelem*, de successu itineris sui consultum ut iret, permovetur. Tum vero *Samuel*, optatissimam exequendi jussus divini occasionem nactus, laute humaniterque convivio exceptum, non modo, quae cupiverat scire, edocet, sed etiam oleo inundum, populi *Israelitici* regem, divina auctoritate, appellat. Tantam autem rerum suarum commutationem divinitus fieri, ut posset esse persuasissimus, tribus indicibus fidem ejus rei in itinere ipsi factum iri praedicit. Primum enim ipsum ait ad sepulchrum *Rabelis*, in confiniis terrae *Benjaminiticae* prope *Zelzachum*, obvios habiturum duos, qui de reperta asina, patrisque solitudine sint exposituri. Deinde, ad quercum *Thabor* ubi pervenisset, fore, ut in tres alios incidat, *Betlehem*, sacrorum causa, profecturos, qui blandissime compellato, de iis, quae ad aram latari erant, duos panes ultro sint largituri. Tandem גבעת האלהים *Gibbeam Dei* reversum, cum Prophetas מהבמה ex *Bamah*, qui nablio, tibiis, cithara canerent, pulsarentque tympana, occursuros offendisset, divino spiritu ad

ad vaticinandum excitatum, aliamque veluti ad indolem fictum iri. Quae ut omnia suo eventu tunc comprobata, eoque nomine, quae sigillatim expendantur, digna sint: nobis tamen potissimum visum est, postremum in praesenti ostentum accuratius excutere, ac de SAULE IN GIBEA ELOHIM VATICINANTE, publice aliqua commentari.

§. I.

PRius autem, quam ad reliqua explicanda aggredimur, de eo potissimum, oportet, disceptemus, utrum גבעה in oraculo nostro nomen, an vocabulum, haberi debeat? Syrus certe interpres illud גבעה; LXX Graeci, βενὸν τῆς ὄρει; Arabs Londinensis, بَيْتُ اللَّهِ الْعَلِيِّ; Domum Dei, quae in excelsis est; Vulgatus collem, Anglus Hill, Gallus Côteau, suo quilibet sermone, interpretantur. GVSSETIVS in *Comm. L. Ebr.* גבעה tantum, ubi sine ג scribitur, urbem Gebam, in tribu Benjaminitica sitam, ait significare. גבעה autem cum eodem JVNIVS ac TREMELLIVS in *Annotat. Bibl.* ad h. l., Drusus, Vatablus, CALOVIUS in *Biblis Germanicis*, R. David Kimchi ad i. Sam. VII. i. Bonfrerius, Clericus, ipseque LVTHERVS, collem, monticulum, clivum hic locorum transfulere. Contra ea Jonat han גבעה nomen existimavit, idque per גבעה h. l. expressit, eaque interpretatione gratiam a Pellicano ad h. l. Castello in *Lex. Hept aglotto* p. 476, Sebastiano Schmiddio ad h. l. p. 28r. David Martinio in *Not. ad Biblia Gall.*, du Hamel in *Annot.* ad h. l. Menochio in *Comment. Script.* aliis-

A 3

que



que Sectatoribus suis, iniit. MVNSTERVS, *Petrus Martyr, Clarius, VVitius in Miscell. Sacr. p. 75.* nihil definire ausi, satis habent, aliorum enarrasse sententias. At nos, quamvis non nesciamus, גבעה i. Sam. XIV, 2, Jer. II, 20, & Ps. LXV, 13, ubi numerus plurimum גבעות invenitur, vocabuli indolem sapere, nostro tamen in oraculo nomen esse asseveramus. Nam si collis desertus גבעה est, cur נציב praesidium, & stationarii milites, quos *Jonathan* i. Sam. XIII, 3, 4, cecidit, ibi a Philistaeis sunt constituti? Qui *Saul* i. Sam. X, 26, & XV, 34, ex *Gilgal* ivisse dici potuit אל ביתו גבעת שאול in domicilium suum, quod in *Gibeab* Saulis fuit? Quo pacto agnatos Saulis בגבעה habitasse ex i. Sam. X, 13, obtinebimus? Parentes certe Saulis familiariter notos incolis *Gibee* fuisse, ex eo perspiciamus, quod magna admiratione percussi i. Sam. X, 11, exclamarunt: Num & Saul inter prophetas? Nimirum futile est *Guffetii*, quod supra notavimus, de discrimine גבעה & גבע, commentum, cum expresse נציבו פלישתים, qui i. Sam. X, 5, בגבעה fuisse dicuntur, i. Sam. XIII, 3, בגבע collocentur. Proinde tam גבעה quam גבע nomen urbis proprium est, nec expedit, plura in eam rem argumenta foris conquirere, cum ipsa id oraculi nostri consecutio fortissime evincat. Aperte enim, quae גבעת האלהים appellatur, mox עיר dicitur, i. Sam. X, 5, eo verborum ordine אחר כן הבוא אל גבעת האלהים. Postea venies ad Gibeam Dei, והיו כבואך שם העיר, & eveniet, cum veneris illuc in urbem, eandem videlicet, quae proxime ante גבעה erat nuncupata. Et si igitur בגבעה h. l. vocabulum, quod collem significet, esse pernegamus, urbem tamen גבעה in colle sitam fuisse ex i. Sam. XIII, 15, & XV, 34. ultro agnoscimus.

§. II.

Ea lite jam composita, quot *Gibee* fuerint olim, viden-

videndum est. Variè enim nomen illud, nunc גבע, nunc גבעה, vel גבעת, interdum גבע בנימין aut גבעת בנימין, alias גבעת שאול & גבעון in sacris literis scribi observamus. Initio igitur גבעת Jof. XVIII, 28, perinde ut גבעת קרית proxime subsequens, urbem peculiarem, a גבע v. 24. & גבעון v. 26. sigillatim commemoratis, distinctam, significare, non autem, quod CLERICUS in *Notis ad Indicem Geographicum Sansonis* p. 8. tradit, a גבעה tantum, ut nomen constructum ab absoluto, differre, ex definito urbium Benjaminiticarum, a *Josua* recensitarum, ordine ac numero concludimus. גבעון autem a גבע diversam urbem fuisse, idem *Josua* c. XIX, 24, 25, aperte docet. Nec arguit id, גבע & גבעון eandem urbem esse, quod II. *Chron.* XIV, 16. initium fugae *Philistaeorum* מגבעון a *Gibeon* factum dicitur, quod tamen מגבע a *Gibea* coepisse II. *Sam.* V, 25, traditur. Nam cum oppida ista maxime vicina fuerint, praeliumque in campis, inter utrumque interjectis, commissum sit, aequè rectè a *Gibeon*, ac a *Gibea*, profligatos *Philistaeos* diceres, etiamsi justis spatiis utrumque haud neges distitisse. גבע vero, de qua nos potissimum commentari aliqua exorsi sumus, & ipsa oppidum est tribus Benjaminiticae, non procul a *Jebus* sive *Hierosolymis* & *Machmas*, ubi *Philistaei* castra habuerunt, I. *Sam.* XIII, 5. JOSEPHVS L. V. *Antiqv.* cap. VI, in definiendis, quibus a *Jebus Gibea* haec abfuit, stadiis, sibi non constat, dum modo XX, modo XL, modo L numerat: MASIVS autem in *Comment.* ad *Jos.* IX, 24. *Machmas* ab *Hierosolymis* mille passus semotas fuisse liquido affirmat. Proinde distinguenda probe est haec גבעה ab illa tribus Judaicae urbe cognomine, inter *Accaim* & *Thamma* *Jos.* XV, 57. collocata, de qua SANSON in *Ind. Geogr.* p. 48, BONFRE-

RIVS

RIVS in *Notis ad Onomast. Urb. & Loc. Script.* p. 78, CELLARIVS *Geographia Antiq.* T. II. p. 556. seqq. conscripsero. Dissentire itaque hic nobis liceat a *Michaelē VValthero*, quando in *Harm. Bibl.* ad 2. *Sam.* VI, 3. p. 229, nulum *Gibeah* alicujus, quae in tribu *Juda* extiterit, in Scripturis sacris vestigium, nullum in tabulis chorographicis documentum reperiri, confidenter adstruit. Est vero *Gibeah* nostra illa, in qua cujusdam Levitae pernoctantis pellex *Jud.* XIX, 13, seqq. nefandis stupris eneſta, tamque turpe commissum scelus est, ut, ducto veluti inde per omnem seculorum memoriam proverbio, qui perditissime viverent, גבעה כימי הגבעה, *Hof.* IX, 9. Eadem *Gibeah* *Jof.* XVIII, 24. duodecima est inter urbes Benjaminiticas primi ordinis, assignata deinde & concessa Levitis *Jof.* XXI, 17. *I. Chron.* VI, 45, dictaque גבעה לבנימין *Jud.* XIX, 13, גבעת בנימין *I. Sam.* XIV, 27, גבעת שאול *I. Sam.* XI, 4, *Jof.* X, 29, cum, quod *Saulis* illa patria fuit, tum, quod regiam ibi, domiciliumque, constituit, *I. Sam.* XV, 34, tandemque a *Davide* sepultus est, *II. Sam.* XXI, 12, 13, sq. Neque enim audiendus est CLERICVS, quando l. c. duas fuisse in Benjaminitica tribu *Gibeas* asserit, Leviticam alteram, alteram *Saulis* patriam, cum *Jofua*, ubi Benjaminiticas urbes enumerat, non nisi unius גבע, sive גבעה, meminerit. Quod autem divinus *Jesaias* c. X, 29. גבע a גבעת שאול distinguit, non confirmat Clerici opinionem, nec עיררת הן בארץ בנימין *duas urbes in tribu Benjamin*, ut *KIMCHIVS* ad h. l. vult, eas fuisse comprobat, sed illam quidem גבע, vicinæ tribus *Judae*, quam supra commemoravimus, urbem & hanc, Benjaminiticam nostram, communi calamitate afflictas arguit.

§. III.

Alia loca appellationem גבעה cum quadam adjec-tione

ctione sortita, urbium numero excludenda iudicamus. In iis est הערלות גבעת *Collis Praecipuorum* *Jof. V, 3*, clivus haud procul *Gilgal* litus, ubi a *Jofua* resecta sunt *Israelitarum* praecipua, a quibus, ibidem projectis, terraque opertis, nomen loco venisse videtur. Non enim בגבעתה, in urbe *Gibea*, ut *Jonathan Chaldaeus* vult, ea resecuerunt, sed בגלגל v. 9. 10. & quidem הערלות גבעת אל *super colle praecipuorum*. De גבעת פנחס *Jof. XXIV, 33*, commemorato, magna est interpretum dissentio. Sunt, qui cum *Eusebio* in *Locis Ebraicis*, ubi γαβααθ, ἕξου Ε-Φαίμ, Φεβείς, ἢ Ἐλεάζαζ, πόλις vocat, urbem in montanis *Ephraim*, *Silunti* fortassis proximam, ne a Dei facerario procul abesset *Pontifex Maximus*, interpretantur. HIERONYMVS גבעת פנחס, quae fuit כהר אפרים cum חל תרפיט confundit, quando: *Gabaath*, inquit, in tribu Benjamin, urbs Phinees, filii Eleazaris, ubi sepultus est Eleazar. PATRICIVS in *Comment.* ad h. l. גבעת mavult vocabulum esse, collemque, qui a *Pineha* nomen traxerit, significare. Et quid impedit, quin villam aliquam, *Pinehae* peculiariter donatam, existimeamus? Poterat sane illa, praesertim cum כהר אפרים in montanis *Ephraim* sita esset, גבעת פנחס nomen tueri, etiamsi scholam singularem *Pinehas* ibi haud instituerit, quod tamen ALTINGIVS in *Hist. Acad. Ebr.* p. m. 281. conjectat. גבעת המורה *Jud. VII, 1*, quid sit, fere ignorant omnes, dum alii גבעת nomen, & המורה vocabulum, alii contra המורה nomen, & גבעת vocabulum, nonnulli vero, utrumque vocabulum esse, contendunt. JONATHAN *Chaldaeus* גבעתה דמסתמא, *Gibeon Speculationis* interpretatur, quasi speculator ibi fuisset constitutus, qui vias monstraret, aut exercitus hostilis adventum incolis indicaret. Deseruit autem eum CLERICVS

B

Com-

Comment. in h. l., qui transferre המורה נבעת maluit COLLEM MORAE. ALTINGIVS contra in *Hist. Acad. Hebr.* p. 271. *Collem Doctoris* reddit, nomenque hoc a praestantissimo quodam, qui ludum eo in loco aperuerat, magistro profectum arbitratur. Certius de נבעת ex I. *Sam.* XXIII, 19, XXVI, 13. constat, collem fuisse in desertis *Maon*, quae ad tribum *Juda* pertinere, ubi cum *David* ageret, parum aberat, quin a *Saule* fuga interciperetur.

s. IV.

Ad praecipuum nostrae disceptationis caput nunc deveniendum, quaerendumque est, quid I. *Sam.* X, 5, per גבעת האלהים sit intelligendum? JARCHIVS quidem cum *Ionathane Chaldaeo* ad h. l. אשר יערים קרית ויערים שם, גבעת ארון האלהים שם inquit. *Gibeath est Kiriath Iearim, ubi fuit arca Dei.* Applaudit KIMCHIVS ad h. l. scribens: כי שם היה ארון מיום שהשיבוהו פלישתים עד שעלהו משם דוד *Gibeath Kiriath Iearim, quia ibi fuit arca, ex quo reduxerunt eam Philistaei, usque dum inde peteretur per Davidem.* Nec abest ab ea sententia ABARBANEL, qui ad h. l. ita commentatur: גבעת האלהים תרנג : ונתן לגבעתה רבה ארונא דוי והיא קרית יערים : *Gibeath Dei interpretatur Ionathan ad Gibeath, in qua arca Dei erat. Et haec Kiriathjearim est. Nam ibi fuit arca, postquam reducta est a Philistaeis.* ADRICHOMIVS contra, & cum eo alii, גבעת האלהים locum in urbe *Kiriathjearim*, eminentiorem fuisse, ex I. *Sam.* VII, 1. sibi videntur percepisse. Quod enim de הכינרב כותב בנבעת dicitur, id ita accipit *Kimchi*, ad quem DRVSIVS etiam in *Comment.* ad diff. loca I. *Sam.* VII, 1, p. 465. pro-
vocat,

vocat, ut arcam adductam fuisse putet in domum *Abinadabi* cuiusdam, in colle habitantis, qui diversus forte fuerit ab altero *Abinadabo*, depressiorem urbis partem incolente. ALTINGIVS l. c. collem illum Kiriathjearimiticum כַּתֵּב הַיְהוָה appellatum conjectat, quod ibi juvenus forsan rerum divinarum, cultusque publici scientia imbueretur. At SEBASTIANVS SCHMIDIVS in *Comment.* ad h. l. arcam foederis neque in urbem *Kiriath Iearim*, neque in collem, aut editum quendam ejus locum, sed *Gibeam*, a *Iearimensibus* delatam, nec tamen propterea minus apud eosdem fuisse, affirmat. Distinguenda enim, ait, esse tribuum territoria, a sacerdotium agrorum tractibus, qui haud raro vicina diversarum tribuum loca, nullo territoriorum discrimine, sint complexi. Quo pacto facile evenisse judicat, ut *Kiriath Iearim*, in territorio tribus *Judae* sita, & *Gibeae*, urbs Benjaminitici territorii, unus ager sacerdotalis haberentur. *Iosua* enim cap. XIX, 4, auctore, Benjaminiticae tribus limites ad *Kiriath Iearim*, *Judae* tribus oppidum, pertigere. *Gibeae* igitur, in qua *Saul*, a *Samuele* dimissus, habitabat, cum in Benjaminiticae tribus finibus ad meridiem fere, *Kiriathjearim* contra in finibus *Judae* ad septentrionem fuerit, urbes haud procul distitas ad unum sacerdotium agri tractum referre, illumque omnem ab urbe principe *Kiriath Iearim* appellare, nemini absonum videatur. Ita vero non incolas tantum urbis, sed omnis etiam agri sacerdotium, qui ad eam pertinuit, & urbis *Gibeae* cives, *Kiriath Iearimenses* vocari, ait, potuisse. Quibus praestructis haud quidem difficile fuerit, omnem Criticorum de I. *Sam.* VII, 1. sensum apte & intelligenter componere. Sed gravis tamen nos causa movet, ut, licet *Schmidii* omnia probemus, pro *Gibeae*

vicinam ejusdem tribus urbem, *Gibeon*, urbem, ut *Ios. c. X, 2.* docet, amplissimam, & cujus ditione olim *Cepbira, Berob,* & ipsa *Kiriathjearim* continebatur, in qua Sol stetit *c. X, 12,* & cujus cives *Israelis* ducem dolo circumvenerunt, *c. IX,* quaeve & ipsa urbs *Levitic* fuit *c. XXI, 17,* ponere malimus. Nam tabernaculum sacrum & altare aeneum, in quo mille holocausta rex *SALOMO* sacrificavit, non *Gibae*, sed *Gibeone*, asservatum dicitur *i. Reg. III, 4, 2. Chron. I, 3, 4.* In ea autem potissimum urbe arcam fuisse, in qua, *אֹהֶל מוֹעֵד הַמִּשְׁכָּן,* אֹהֶל מוֹעֵד הַמִּשְׁכָּן, & הכמה הגדולה הנחשת, & הכמה הגדולה negaverit. Quid enim arcam, cum in propinquo אֹהֶל מוֹעֵד הַמִּשְׁכָּן, tabernaculum, cujus sanctissima pars אֹהֶל מוֹעֵד הַמִּשְׁכָּן, judice *Guffetio* in *Comm. L. E.* sub שָׁכָן, dicebatur, propriusque constituendae illius ex divina voluntate locus esset, in propatulo *Kiriath Jearim*, aut *Gibae*, ponerent, cui *DAVID, Hierosolymas* translatae, *II. Chron. I, 4.* tentorium figendum esse judicavit? Quare, ut, quae *I. Reg. III, 4, II. Chron. I, 3, 4, 5, 6.* dicuntur, recte intelligantur, asserimus, arcam, quae per *LXX.* annos, in *Kiriathjearim*, hoc est, tractu illo sacerdotali, qui *Gibeon* urbem quoque complexus est, steterat, a *Davide* primum in domum *Obed Edom*, deinde *Hierosolymas* deductam, & sub novo, quod rex aptaverat, tabernaculo, constitutam, vetus autem illud, a *Bezaleele* constructum tentorium, perinde ut altare aeneum, in urbe *Gibeon*, ad *Salomonis* usque tempora, relictum esse.

s. V.

De *Kiriath Jearim*, quoniam multa nobis disceptatio hactenus fuit, operae pretium erit, paulo explicatius dixisse. Nomen ejus *MASIVS* ad *Jos. X, 17,* a vicino monte, quem יַעֲרִים, quod nemorosus esset, dictum vult, derivat,

rivat, & *Urbem sylvarum* interpretatur. Cujus quidem
 sententiae firmamentum haud leve in iusto verborum or-
 dine, nativaeque significatione, & constructione, innititur.
 His contra destituta est illorum opinio, qui קרית יערים ur-
 bem urbium vocatam esse malunt. Nec tuetur eos, quod
 eandem urbem *Esdra*. II, 25, קרית יערים appellari videmus.
 Nam, ut absonum est, statuere, יערים, transpositis primis
 literis, pro ערים, scribi, propterea quod nusquam ex
 עיר numerum plurium עירים usus format, ערים autem
Jud. X, 4, XII, 14, non urbes, sed asellos, significant:
 ita res omnis plana est, & expedita, si ערים pro יערים *אצל*
אֶפְסֵסוֹן, in sacris literis haud infrequentem, scribi sen-
 tiamus. Et quid, si hoc urbis nomen, perinde ut alia, il-
 lo praecipue, quo captivi a *Babylonis* *Judaei* teneban-
 tur, tempore corrumpi, & ex קרית יערים, neglecto sche-
 va, primum *Kirjath Jarim*, post omisso (?) *Kirjath A-*
rim, fieri coepisse puremus? Apud *Iosua*m certe, & ubi-
 cunque alias ante *Esdram* commemoratur, קרית יערים
 dici observamus. Eandem vero urbem בעל קרית etiam,
 & בעלה interdum appellari, qui *Ios.* XV, 60, cum XVIII,
 14, item *Ios.* XV, 9, cum *1. Chron.* XIII, 6, & *2. Sam.* VI, 2,
 apte composuerit, facillime cognoscet. Sitam eam non
 in tribu *Dan*, in qua ab *Adrichomio* in *Th. T. S.* p. 22. n. 17.
 collocatur, sed in tribu *Juda* fuisse, ex *1. Chron.* XXIII, 6,
 & *2. Sam.* VI, 2, liquet. Neque enim, quae *Ios.* XIX, 44,
 inter Daniticas urbes refertur, בעלת, cum בעלה, quae
 קרית יערים est, confundenda, nec somniandum *Light-*
foot in *Centur. Chorograph. Matthaeo* praemissa p. 204.
 erat, urbem *Kirjath Iearim* in tribu *Juda* sitam, agros au-
 tem ejus in tribum *Dan* porrectos fuisse, cum insolens
 haud sit, ejusdem nominis urbes in diversis tribubus exti-
 tisse. Quare cum *Eusebio*, *Hieronymo*, *Bonfrerio*, *Cellario*,

Martinio, Clerico, Luytso, ex Ios. XV, 60, XVIII, 14, Iud. XVIII, 12, recte asseveramus, Kirjath Iearim urbem, iudice Martinio in Bibliis Gall. praesidio & opere munitam, Gibeonitarum astu ab Israelitarum armis liberatam & in Septentrionali tribus Judaeae limite, confiniisque Benjaminiticae tribus, positam, ab Hierosolymis, ut MARSIVS ad Ios. XVIII, 14, docet, quatuor horarum itinere, vel, ut ADRICHOMIVS l. c., quatuor milliaria & dimidium abuisse.

§. VI.

Jam, ut e diverticulo in viam redeamus, quoniam נכעת האלהים Kirjath Iearim non esse, evicimus, videndum est, quo jure id nomen Gibeae Benjaminiticae tribuatur. Atque hic principio monemus, אלהים nomen esse, non Dei summi proprium, sed magistratibus, iisque omnibus, quibus cultus ac veneratio debetur, commune, ut potius in Arabum verbo *ج* coluit, veneratus est, quam in Ebraeo אלה juravit, ejus conservari origines videantur. Quo respexisse videtur WALTHERVS in Harm. Bibl. p. 229, cum scriberet: *Vulgatus interim, B. Lutherus, Pagninus & Arias Montanus retinent (2. Sam. VI, 4,) in suis versionibus Ebraicum נכעה, procul dubio quod senserint, collem illum prae reliquis נא' א' א' ita fuisse appellatum, & viri, cum inhabitantis, celebritate nobilitatum, quasi is vocatus sit Dominus in Gibeae, & loco maxime conspicuo, der Herr vom oder auff dem Berge und Hügel.* Deinde & illud tenendum est, אלהים, perinde ut אלה ac יהוה, cum iis componi vocabulis, quae divinum quid, excellens, maximum, aut vehementissimum significant. Quo pertinet illud Kimchii ad 1. Sam. 26, verbum: הרבר שרצה להגדילו סוסך אהו לאה: *Quam rem divinae litterae magnam & excellentem describere volunt, cum*

מורה



nomine Dei componunt. Proinde haud absolumi forte
quis existimet, נבער האלהים *Gibeam* urbem, vel si mavis,
פלג האלהים ac praestantissimum, ut פלג האלהים
Pf. LXV, 10, rivum abundantissimum, אש האלהים ignem
maximum, Job. I, 16, interpretari. At SANCTIVS ad
h. l. appellationis originem a Schola seu Academia Prophe-
tica, quae ibi floruerit, repetere mavult. *Mibi*, inquit, *hoc*
loci placet, civitatem illam vocatam esse Collem Dei, seu
potius Gabaa Dei, ut distinguatur ab alia ejusdem nominis
civitate. Tale autem nomen videtur obtinuisse, quia ibi
erant coetus & veluti Schola Prophetarum, qui aut divi-
no afflatis erant spiritu, aut divinas laudes ex voce ac re-
ligione, aut ex instituto modulabantur. Sentit cum San-
ctio CORNELIVS a LAPIDE, quando, in Comment. ad
h. l. Gabaa collem Dei, quia in eo Prophetae, divinas lau-
des concinentes, morabantur, dictum fuisse, adstruit.
Nec abludit ab iis ipse nostras CALOVIVS, in Bibl. Ger-
manicis, ubi ista verba sic explanat. Auf den Hügel
Gottes, da die Propheten ihre Versammlung und heilige
Übung hatten, denn es waren zu Zeiten Samuelis fei-
sonsten I. Par. XVI, 22. XXVI, 13. Eadem fere Vinari-
ensium glossa hic est, cum ita scribunt: Also wurden
damals feine Schulen gehalten, darinnen man die Sing
und andere freye Künste lebrete und übete, auch die In-
gend zu dem rechten Erkenntniß und Lobe Gottes anfüh-
rete, I. Chron. XVI, 22. cap. XXVI, 3, 7, dahin auch Pau-
lus siehet Eph. V, 19. Applaudit MARTINIVS in Notis
ad Bibl. Gall. l. c. Dum, La ville, inquit, de Gibba étoit
appellée le côteau de Dieu, a cause d'une grande Ecole,
que les Prophetes y avoient, comme a Najoth Ch. XIX,
19, 20, & a Jericho, II. Rois II, 3, 5. MENOCHIVS in
Com-

Comment. ad h. l. Videtur, ait, Collis Dei appellata, quod in ea esset Collegium Prophetarum, eo scilicet, quod Iunia & Tremellio suffragantibus, colles antiquitus hanc ad rem plurimum adhiberentur. Idem fere in iis, quae ex Bibliotheca IOANNIS, Archiepiscopi Eboracensis, per Antonium Scattergoodum Amstelodami hoc anno editae sunt, Annotationibus ad V. T. docetur. Et sane, si nexae illius, jugataeque orationis consecutionem accuratius expendamus, nulla aptior videbitur ejus appellationis ratio posse inveniri. Neque enim ausit quispiam cum Chaldaeo, Iarchio, Kimchio, Schindlero in Lexico sub voce גבעה & אלה, Carolo Sigonio de Rep. Ebr. Libr. II. cap. III. p. 65, Sebastiano Schmidio l. c. ab arca foederis, quam Gibeae nos stetit demonstravimus, ejus originem repetere. In ipso autem illo oraculo I. Sam. X, 5. cum כָּל נְבִיאֵי הַכּוֹל turbae Prophetarum, Sauli obviae, aperte mentio fiat, locusque simul, in quo convenerint, dum מֵהַכְּמַת יוֹרְדֵי descendisse de Excelsis dicuntur, expresse nominetur, quis dubitet, ludum ibi publicum juventuti, divinarum literarum studiosae, apertum, vatunisque futurorum seminarium fuisse?

§. VII.

Sententiae hujus firmamenta antequam persequamur, de vi voculae כִּמְה, quae maximum ad rem conficiendam telum confert, opus est, quaedam praemonere. Est autem amplissimae significationis vocabulum, quod quemlibet locum editum, ac eminentem, designat, ut ex Deut. XXXIII, 13, Ies. LVIII, 1. Habac. III, 19. Amos. IV, 13, aliisque divinis oraculis liquet. Interpretes Graeci illud modo βουνός, modo ὑψηλόν, modo etiam βουνόν, haud inepte transtulere. Nam & arae inprimis, quod e plano surgebant, continentique solo altiores essent, כִּמְה

כִּמָּה אֲשֶׁר בּוֹכַעָה per meruere dici. Ea de causa per
 quo SALOMO שֶׁכַּח לִזְבַּח *sacrificandi causa* iuit, II.
Chron. I, 3, *altare* significari, idque הגִּדּוּלָה appella-
 lari volunt, quod antiquissimum esset, quippe a *Beza-*
lecle ipso, iussu divino, confectum, quodque in אֶהֱלָה
 מוֹעֵד & מִשְׁכָּן, vetustissima religione claris, affervaretur.
 SYRVS certe in locum הגִּדּוּלָה כִּי הָיָה הַכִּמָּה *I. Reg.* III,
 4, verba יִסַּד יְהוָה לְבַלְלָן יִכְבֹּד׃ *quoniam alta-*
re maximum in eo loco, surrogavit, cum contra & ipse,
 & ARABS II. *Chron.* I, 3, כִּמָּה כְּסֻמָּאן *idem*
 & וְלִמְעָה עֲטִיבָה & *convivium magnum* interpretentur.
 BVXTORFIVS in *Lex. Talm.* pag. 315. non ipse tantum
 כִּמָּה *aram excelsam* reddit, sed auctor etiam est, a *Tal-*
mudicis per גִּדּוּלָה כִּמָּה *altare magnum*, & קִטְנָה
altare parvum significari. Nec vero aris tantum olim,
 dum sub dio fuere, sed facellis etiam, postquam super-
 strui aris coepere, omnique demum aedificio, quod sa-
 crorum causa exstrueretur, ea tributa est appellatio. Hinc
Chaldaeus, quod I. *Sam.* IX, 12, כִּמָּה dicitur, בית אסדרותא,
 domum convivii, nuncupavit, veluti in qua, prope a-
 ram constituta, de sacrificiorum reliquiis pransi sint, qui
 invitati fuerant. Nec dubium est, omnem illam, am-
 plam interdum ac spatiosam, regionem, quae *aram*,
facellum, coenacula, sacerdotum domicilia, scholasque,
 complexa est, כִּמָּה, quod in loco edito plerumque esset,
 fuisse appellatam. In elatioribus enim locis sacra po-
 tissimum fieri antiquissima aetas voluit, ut commone-
 faceret homines, animum ad sacra afferendum esse ter-
 renis humilibusque curis liberum, & ad coelestium re-
 rum contemplationem erectum. Hinc factum est, ut,
 C quod

quod natura sua vocabulum erat, in nomen abiret, propriaque fieret locorum quorumcunque consecratorum appellatio. Suboluiffe id videtur LXX. *Græcis & Syro*, quorum illi כַּמָּה, βήμα; hic כַּמָּה, tanquam nomen, transtulere.

§. IIX.

Ut vero vocabulum כַּמָּה male in divinis voluminibus audire coeperit, postquam rex SALOMO, praeter sacram, quam extruxerat, aedem, alia peregrinis Diis sacella condidit, ejusque imitatione *Israëlitæ*, כָּל עֵץ רֵעֵנָן כָּל בְּמֹת וְרֵחַת כָּל עֵץ רֵעֵנָן *in omnibus editis locis, ac sub omni viridante arbore*, sacrificarunt: salvum tamen idem nomen ac intemeratum, ut ante, ita post Solomonea tempora, divinorum vatum seminariis mansisse videtur. כַּמָּה certe, unde I. *Sam. X. 15.* חֶבֶל נְבִיאִים *turba Prophetarum* venisse dicitur, ut *Scholam*, vel *Academiam propheticam* potissimum fuisse credamus, multis rationibus permovemur. Ac primum quidem ipsa nominis ratio id haud obscure significabit, si meminerimus, propter *Gibeonis* vicinitatem *Gibeenses* nec indiguiffe peculiari ara & facello, nec memorari unquam in diviniore historia tale quid *Gibeae* constitutum. Proinde erit כַּמָּה id *Gibeae*, quod נְוֹת רָמָה *Ramae* fuit. נְוֹת autem, quod proprie habitaculum designat, בַּיִת אֹהֶל־פָּנָה, ut *Chaldaeus* habet, sive מִדְּרַשׁ בַּיִת, ut *Altingius* in *Dissert. Acad. & in Orat. de Academiis Ebraeis pag. 282.* ait, *domum doctrinae* vel *scholam* aut *Academiam*, adeoque aedificium a לְשֹׁכָה sive *coenaculo*, I. *Sam. IX. 22.* commemorato, diversum, cui שְׂמוֹאל עֹמֵר נָצִיב SAMUEL praefectus erat, & in quo DAVID, *Saulis* furorem fugiens, delitescerat, fuisse, ex I. *Sam. XIX. 18.* seqq. tam aper-

aperte constat, ut nostra confirmatione haud indigeat. Deinde quod כָּל הַכֹּהֲנִים נְבִיאִים, sive, ut *I. Sam. XIX, 20.* dicitur, לְהִקָּת הַנְּבִיאִים, vel, ut *Chaldaeus* ait, סְפָרִיא, טִיעַת סְפָרִיא, מהבמה, venisse dicitur, argumento esse videtur, non scholam tantum, sed scholam admodum celebrem ac illustrem, illam כְּמָה extitisse. Multo id liquet magis, si *Kimchio* credimus, per hos הַנְּבִיאִים intelligi oportere סְפָרִיִם, Prophetarum discipulos ad ultioris ingenii, profectuumque maturiorum, בני כְּנִיאִים tirones. Vocabulum autem נְבִיא MELCHIOR LEIDECKERVS *de Rep. Ebr.* p. 606. a verbo בָּוָה deductum asserit, quod *Prophetarum* futurorum temporum, quae כְּנִיאִים יָמִים appellant *Ebraei*, faciem, animo praesenserint, ac praedixerint. VVITSIVS de eodem *Libr. 1. Miscell. c. 1. Volunt*, inquit, *Ebraeorum magistri נְבִיא cum suis conjugatis esse a radice בָּוָה venire, accedere, ingredi, eo quod Deus ad Prophetam occulto spiritus afflatu accedat, & quae futura sunt, eidem indicet.* Haec utcumque existimentur, non male CAMPEGIVS VITRINGA in *Synagoga Vet.* p. 356. iudicavit, נְבִיא interdum omnem divinae voluntatis interpretem, sive peritiam doctrinae coelestis, & ejus edisserendae explanandaeque facultatem, humana industria, sive divinitus, affecutus esset, denotare. Prophetarum enim officium non in solis praesagiis ac futurorum praedictionibus consumtum est, sed in explicandis religionis ac legum capitibus, increpandis ac reprehendendis erroribus & sceleribus, vindicanda veritate, coarguendis interpretamentorum calumniis, aliisque *Theologi* partibus, multum fuit occupatum. Quare nec id a *Vitringa* l. cit. pag. 358. inepte dictum videtur, per כְּנִיאִים in oraculo nostro intelligendos esse viros divinae humanaeque

sapientiae studiosos, quos בני הנביאים alioqui divinae literae nuncupant, qui doctrinarum virtutumque praecepta perpetua exercitatione imbibebant, & in divinis beneficiis laudibusque canendis otium suum collocabant. Neque enim credibile est, tot homines, quot vox הכל significat, simul, & semper, futuras res certa animi notione, divino afflatu, praesensisse, & praedixisse, cum nec perpetui usus ea facultas, nec cujuslibet fuerit arbitrii. Hos tamen nihil impedit, quin aliquando omnes coelesti spiritu ad divinarum laudum praeconium, voce manuque faciendum, subito excitatos fuisse sentiamus. Nullum igitur suae sententiae praesidium I. Sam. X, 6. ANTONIVS van DALE invenit, quando in *Commentatiuncula de VERA & FALSA PROPHETIA*, quae *Dissertationibus de Origine & Progressu Idololatriae* subjuncta est, ex duobus Prophetiae generibus, quorum alterum in divinarum revelationum perceptione, alterum in sacrarum literarum meditatione, & interpretatione constituisse ait, primum Prophetis nostris ex במה descendantibus attribuit. SAVL enim ubi divino spiritu concitus est, versu 10, non de Gog & Magog, de praemiis justorum & poenis impiorum, ut somniant *Judaeorum* magistri, nec de aliis futuris rebus vaticinatus est, sed התנבא עמם, ita, quemadmodum illi Prophetae, videlicet e במה venientes, prophetasse dicitur. Illorum autem quae prophetandi ratio fuerit, ex his versus quinti verbis constat ולפיניהם נבל ותוף וחליל וכנור והמה מתנבאים. Nimirum erat illa divinatorum beneficiorum, aeternaeque majestatis ac gloriae, ad fidium, tiliarum, tympanorumque, quae vel ab ipsis, vel ab aliis Musices peritis, scienter pulsabantur, concentum apte dimensa decantatio.

tio. Id sensit JONATHAN CHALDAEVS, cum in
 Ebraei מְנַחֵמַי locum מְשַׁבְּחַי surrogaret, & KIM-
 CHIVS cum ad h. l. scriberet: וְתוֹשָׁבוֹת לֹאֵל נִאֲמָרוֹת בְּרִינָה הַקֹּדֶשׁ
 : *Prophetiae eorum cantica erant, & laudes Domino dictae per Spiritum Sanctum.* Applaudit eis PETRVS MARTYR,
 dum prophetare ait hoc loco idem esse, ac voce modu-
 lari, idque scienter ac docte; & PELLICANVS, quan-
 do verba מְנַחֵמַי וְהַתְּנִיכִיתָ ita interpretatur: *Laudes Domini prius Tibi incognitas modulaberis.* MUNSTER-
 RUS & CLARIUS his non absimiliter, quod in Ebraeo
 est, ita explicant: *Instigati spiritu Dei dicent laudes & cantica, atque differant de rebus divinis.* VATABLVS מְנַחֵמַי, inquit, laudabunt, canent encomia, psalmos & hymnos. Idem plane DRVSIVS ad h. l. commentatur. SEBASTIANVS SCHMIDIVS, מְנַחֵמַי ait, *Chaldaeus commode vertit, per laudare.* Nam instrumenta musica declarant, quod musicaliter prophetaverint, quod per psalmos factum est. DAVID MARTINIVS in *Bibl. Gall.* ad verba, *Qui prophetassent*, scribit: *C'est a dire, qu'ils chantoient les louanges de Dieu avec des instruments de Musique, car le mot de prophetiser se prend en ce sens, I. Chron. XXV, 1.* Quibus omnibus gemina est illa VINARIENSIVM divinis verbis inserta explanatio: *Und der Geist des HErrn (der bey den Propheten und bey solchen Versamblungen mit unterschiedenen Gaben sich finden lässet) wird über dich gerathen, daß du mit ihnen weißagest (daß du auf Musicalischen Instrumenten dich neben Ihnen zum Lobe Gottes künstlich hören lässet, eben als wenn du es lange gelernt*

und getrieben.) Nec sane praeter rem a MENOCHIO & VVITSIO assertum est, prophetarum nomen etiam iis commune fuisse, qui Dei laudibus voce vel instrumentis musicis, divino admonitu canendis, operam ex instituto navarunt. *Levitae* enim, quibus publicum canendi inter sacra officium a *Davide* demandatum erat, *I. Chron. XXV, 1, 2, 3*, expressis conceptisque verbis: נבאים בכנורות כנבליים וכמצלותים: נבאים על הורות והלל ליהוה. Proinde, ubi illud *Samuelis* vaticinium eventu suo comprobatum est, SAUL, divino spiritu percitus, videtur sibi summisse partes canendi, a suo ingenio ante hac prorsus alienas, eaque re tantam sui admirationem concitasse. Ea ipsa autem insolenti animi commotione, quantum quantum erat, totus immutatus est divinitus, ut alios mores indueret, indolemque regio fastigio dignam. Apte id cum du HAMEL, *Annot. ad h. l. VINARIENSES ad v. 5.* ita exprimit: *Da wirstu ein ander Mann vverden, (du wirst andere herrliche und treffliche Bevoegnüsse in deinen Herten und Gemütbe empfinden, daß du nicht mehr an deine Esel und Hauß-Sachen gedencken wirst: auch wirstu mit Weisheit und Tapfferkeit zum Regiment ausgerüstet vverden.)* Utrum vero ipse ille הכנבאים coetus Prophetarum, simul divino quodam afflatu tum ad canendum excitatus, an libere id, atque ex consuetudine, aggressus fuerit, cum *VVitsio* l. c. *Osfandro* ad l. c. aliisque, jam non disceptabimus. Nobis enim sufficit, quale *Saulis* in נבעת האלהים vaticinium fuerit, exposuisse.

FINIS.

CLA-


CLARISSIMO
DN. M. RESPONDENTI


S. P. D.
PRAESES.

E Gregium id semper Tuae virtutis argumentum,
futurique nominis omen, interpretatus sum,
MENCKENI CARISSIME, quod simul ac in hanc
Academiam studiorum caussa concessisti, ardua do-
ctrinarum capita publice cum viris eruditis disce-
ptandi occasionem singulari cura quaesisti. Sor-
duit enim TIBI istorum institutum, qui, inani timore
nescio, an fastu, vanaque de ingenio suo persuasi-
one, correpti, aetatem in umbraculis transigunt,
nec unquam in solem audent & pulverem prodire,
viresque suas publice experiri. Quapropter, ut vix
aliquot nobiscum menses fueras, quotiescunque
data est veritatem vel respondendo e cathedra
tuendi, vel quaestiunculis e subfelliis labefa-
ctandi, ut assolet, facultas, nihil fecisti reliquum,
quod ad rem bene gerendam pertinere videretur.
Vidimus TE bis stare in inferiori cathedra, et,
quae sibi CL. VIRI, ZANUS atque GARMAN-
NUS, Praesides, excutienda sumserant, fortiter,
et cum bonorum omnium applausu, defendere ar-
gumenta. Atque id quidem satis caussae vide-
batur, quamobrem, honores Ordinis nostri sum-
mos

mos, a sororia Academia TIBI in seculari sacro
solemniter decretos, votis & acclamationibus pro-
baremus. At TU, qua es solertia, ex eo magis
exserendo ingenio, asserendaeque dignitati studui-
sti, eosque ut in omni Philosophia, ita in primis
in sacrae Philologiae studio, successus, divino bene-
ficio, nactus es, ut hodie, deposito veluti sub prae-
sidio meo disputandi tirocinio, ipse PRAESES lo-
cum in superiore Cathedra TIBI dextre vindic-
care possis. Quod si istes his initiis, Tuosque
successus persequare, nullum est dubium, quin PA-
TRONORUM, MATRISQUE viduae, spem abunde
impleas, NOMINISQUE MENCKENIANI,
quae longe lateque se jam diffudit, gloriam egre-
gie juves, augeas, amplifies. Ego vero immor-
tale ac praepotens Numen sancte veneror, ut a-
cerba, quae praematura PARENTIS optimi
mors TIBI attraxit, fata optatis felicitatibus e-
mendet, TE servet, industriam Tuam fortunet,
Tuosque conatus omnes in REIPUBLICAE e-
molumentum, MATRIS solatium, FAMILIAE
ornamentum, bene feliciterque jubeat evenire.
Vale. Perscripsi in Museo VIII. Idus
Septembr. cl. l. CC X.

os (o) se







Umg. VI 16


ULB Halle 3
002 061 678




1517
sb 1078

Z







Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

42

47

דָּבָר
DE

SAULE

IN

גְּבוּעַת הַנְּלִיָּהִים

VATICINANTE,

Ad

Illustranda comm. 5. & 10, 1. Sam. X.

AUSPICIO

RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI,

DN. FRIDERICI AVGVSTI,

SERENISSIMI PRINCIPIS REGII ET
ELECTORATUS SAX. HEREDIS,

Ad D. VIII. Idus Septembr. A. O. R. M D C C X.
Publice different

PRAESES

IOANNES CHRISTOPHORUS VVICHMANNSHAUSEN,

L. L. O. O. PROF. PUB.

ET

RESPONDENS

M. GERHARDUS HERMANNUS MENCKE,

Oldenburgensis.

WITTENBERGAE, Typis CHRISTIANI SCHROEDTERI, cad. Typogr.